
DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICA,



QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die ſecundâ menſis Decembris,
Anno Domini M. DCC. LXII.

M. NICOLAO JEANROY, Doctore Medico, Præſide.

I.

An Generatio naturæ arcanum?



ULCHRA quæ videntur, pulchriora quæ ſciuntur, longè pulcherrimæ quæ ignorantur: Stenon. Nec pauca quidem tùm εν μακροκοσμω, tùm εν μικροκοσμω dudùm abdita, quorum cognitio, neglecta, vel deſperata Herculeis tandem præteritarum ætatum laboribus parta fuit, aut caſu felici prolata, in medium, & veluti delapſa cœlitùs. Hinc maximè incitata ſunt, atque incenſa veterum, & recentiorum ſtudia. Hinc eorum conatus, ut mundi incunabula explorarent, primas rerum cauſas exquirerent, ac naturæ penetralia ſcrutarentur. Hinc materiem verſare omnigenam omnibus modis, torquere igne, & ferro, miſcere corpora, rimari latebras, numerum, & lineas augere, vel minuere in infinitum, ut elementorum vis, & ordo eluceſcerent. Verùm licet ingentis curæ, & improbi laboris cunctos pœnituiſſe non debuerit, qui, quod eſt certiſſimum, minùs cogitabant eſſe limites divinitùs conſtitutos, quos transgredi nequit humana mens, & ultrà quos ridiculè, ac ſæpius damnosè evagabitur. *In manibus quæ ſunt, vix nos ea ſcire putandum eſt — uſque adeò procul à nobis præſentia veri.* Quid effecere hactenùs tot commenta circà generationem humanam propoſita? niſi ut rei difficultas, & nodus magis indicaretur. Suave nimiùm eſt mentem gratis fictionibus paſcere; at ſe iis rei veritatem conſequi poſſe nemo ſapiens exiſtimabit. Præſtat igitur ignorantiam fateri, quàm fictitiis indulgere ſpeculationibus.

II.

EPICURUS, cujus doctrinam *Lucretius*, (a) egregio carmine repræſentavit ex utroque ſemine fœtum arguit; eum verò in quem muliebris ſeminis copia major influxerit fore matris ſimiliorem, ſin autem patris; atque ut ex atomorum primævo concurſu coaleſcere potuiſſe mundum univerſum contendit, ita ex alterius ſeminis particulis ſimilioribus, ſimiliora quoque organa, & membra pueri. Hippocrates ſententiam Epicuri ad ſuam detorquens affirmat ſemen virile, & fœmineum ex omnibus corporis partibus, ac præcipue à capite (b) per medullam ſpinalem in renes confluere; prolificum quidem utrumque, ſed vi duplici præditum, alterâ potentiori, utpotè calidiori, alterâ frigidiori, ideòque debiliori; ex utroque ſemine potentiori naſci mares, debiliore fœminas, imaginem, & formam ex majori, vel minori alterius copiâ. (c) Ariſtoteles, *de Gen. lib. 1. cap. 2. ait:* Οτι της γενεσεως αρχαι το αρρεν και το θηλυ. Principium generationis eſſe marem, & fœminam, quod deindè exponit *lib. 1. cap. 20. & cap. 4. lib. 2.*, ubi docet fœtum ex ſolo mare ortum, ali, foveri, expandi, & pingueſcere ſanguine menſtruo, qui nempè ſit ad generationem collatus, nec niſi in puellis puberibus appareat, ſicut in mare pubere liquor prolificus. Si enim liquorem ex ſe, & ſine ope viri miniſtraret mulier, quidnî, inquit, ſola generaret? addit humorem prolificum, talem ſi continerent fœminæ, voluptate venereâ certè iri elici-

(a) Quare etiam atque etiam (ut dico) eſt commune voluptas;
Et commiſcendo ſemen cum forte virile.
Fœmina commulſit ſubitâ vi corripuitque:
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt.
Ut patribus patrio . . . .
Semper enim partus duplici de ſemine conſtat.
Lib. 4. de Nat.

(b) Vide *Comment.* D. le Camus, *de Generat.*

(c) Vid. Theſ. D. Maloet, *an ſucceſſiva partium fœtûs generatio.*

tum ; eâ verò carere nonnullas, dùm concipiunt. Averroës, Avicenna, & alii complures ad noſtra ferè tempora ducem ſecuti ſunt Ariſtotelem.

Recentiorum autem occurrunt de generatione quinque opiniones. Alii ex ovo materno, alii ex animalculis in ſemine maſculo contentis, tertii ex ovo materno, & verme ſimul unitis fœtum oriri exiſtimârunt. Illi inter quos anno *1669.* mutato nomine *Dalempatius*, reverà dictus *de Plantade*, cauſabantur infinitam vermiculorum multitudinem ſpermati virili innatantium, è quibus fingunt unum, qui ſubeat ovulum, valvulâ ſpontè reclusâ, non jam exiturum, eum verum eſſe, & genuinum fœtum, quem ovuli ſubſtantia enutrit, membranulæ inveſtiunt; ſimul delapsum in uterum, creſcere, augeri, donec ruptis ipſe vinculis è carcere fœtus homo erepat. Celeberrimus *de Maupertuis* ſuſpicatur utrique ſemini ineſſe vim *attractionis* dictam, cujus actio cùm ſe prodat in universâ rerum naturâ, cur igitur formandis animalibus non inſerviat ? imò ineſſe talem vim ſingulis ſeminum particulis, cor, caput, brachia, crura, & alia membra conflaturis, hanc, v. g. particulam, quæ ut formetur caput, ſimilis particulæ confinium, & cohærentiam deſiderat nunquam ſe alteri ſociaturam ; hoc modo compingi fœtum poſſe, eum licet animo fingeres organis etiam pluribus, & texturâ delicatiori conſtructum. Ab eâ ſententiâ non valdè diſcrepans Clariſſimus Vir *de Buffon* in fœminâ quemadmodùm in mare liquorem excogitat prolificum, in utroque autem corpuſcula motu prædita quæ deprehendunt ipſimet oculi microſcopio adjuti ; illa verò corpuſcula non vera eſſe animantia, ſed partes duntaxat molecularum, quas ideò vocat organicas, quòd ſolæ idoneæ ſint componendis corporibus, quæ dicuntur organiſata ; illas moleculas licet ſingulæ, & ſeorſim deſtitutæ ſint organis reverà tamen vivere, rem ipſam poſſe ſubjici oculis ; maximâ illarum copiâ abundare animalium, & plantarum ſemina ; illas autem partes, dùm nimis luxuriantur ex omnibus animalis, vel plantæ partibus ubertim emitti ; ex earumque conjunctione reproduci ſubſtantiam, alteram alteri, undè provenit ſemper idcircò futuram ſimilem, quod prædictæ partes excuſæ archetypo interiori, & quaſi impreſſæ coaluerunt. Quæ commenta ; ingenioſa quidem, attamen commenta ſunt. Magnifica moles, egregiè quidem congeſta, & ordinata ; at ſine fundamento, & quæ leviſſimo concuſſu ruat. *Nimiùm ne crede colori.*

III.

SENTENTIÆ Veterum (*d*) ità profligatæ ſunt, ut iis refellendis longiùs immorari nos nemo velit. Aliundè iiſdem quibus mox Recentiores, momentis refelli poſſunt. Nec mirum in hâc quæſtione non ulteriùs progreſſos vel acutiſſimi ingenii Veteres, qui in Anatomiâ, & corporis humani functionibus ferè omninò cæcutirent. Recentiores licet oculatiſſimi, & cognitionum anatomicarum tam locupletes, plura quidem viderunt, at dùm ſingula quæ ad generationem pertinent, explicare tentant, & ſibi, & aliis moleſtiam faceſſunt. Qui probant enim primæ opinionis Defenſores (*e*) ova exiſtere ; ſagaciſſimus omnium explorator *Valiſnierus*, ea nunquam à ſe inſpecta nonne teſtatus eſt. Poſt multa pericula de ſpermate, ſic ait : *egli, riconnobbi egli giudicai ſenza dubitamento alcuno per veri, veriſſimi, arciveriſſimi vermi.* Quoad ſecundum de animalculis figmentum, quæri liceat, an unum, an plura fœtum gignant ? Si unum quorſùm cætera, ſi plura, quid ſingula efficiant ? tertium, ſyſtema non magis probabile ; incertum enim omninò an (*f*) ova ſint. Quid deindè illi Vermiculi ? Quænam eorum forma, & in-

(*d*) Vid. Th. D. *Solier.* an ex utriuſque ſexus ſeminis miſcelâ fœtus ?

(*e*) Res mihi attentione digniſſima oblata eſt in utero fœminæ alicujus diſſectæ. Erat uterus eâ magnitudine quâ eſſe ſolet in virginibus, tubæque ambæ apertæ quidem ad ingreſſum uteri, ità ut ex hoc in illas cum ſpecillo facilè poſſem tranſire, ac flatum injicere, ſed in tubarum extremo nulla dabatur apertura, nullus aditus. Fimbriarum enim ne veſtigium aderat, ſed loco illarum bulbus aliquis pyriformis materiâ ſubalbidâ, fluidâ turgens, in cujus medio fibra plana nervea cicatriculæ æmula apparebat, quæ ſub ligamentuli ſpecie uſque ad ovarii involucra protendebatur. *Obſerv. Dom. Weitbreih, Anatom. Petroburg. peritiſſ.*

(*f*) *Valiſnierus* coxit duo corpora glanduloſa in ovariis canis venere æſtuantis reperta : ſperabat fore ut poſſet, iis diſſectis, ovum deprehendere, quod ſummopere cupiebat, neque aut ovum, aut quid hujus ſimile deprehendit. *Vid. D.* de Buffon, *Tom. II. Cap. V.*

doles ? Fortè splendido errore ludunt nos microscopia ; tùm denique illa tria systemata eodem vitio laborant, quod progressum in infinitum supponunt. Ex calculo inito à V. Clar. *de Buffon*, homo vermem spermaticum sextæ generationis magnitudine magis superaret, quàm universi orbis sphæra exiguissimam atomum quæ microscopio videri possit. Illorum etenim seu ovorum, seu animalculorum origo deducetur aliorum ex aliis, donec statuatur aliquod primum ex quo omnes omnium ætatum homines nati sint, ac etiam nasciturі. Insuper quî fieri posset ut puer, hic patri, ille matri sæpè sæpiùs utrique sit similis, & funestam interdùm hæreditatem à parentibus indiscriminatim accipiant. Nec feliciùs explicabuntur dissimiles hominum figuræ. (g) *Æthiopes maculant orbem, tenebrisque figurant per fuscas hominum gentes. (Manil. lib.* 4.) Ex postremis duobus clarissimis Scriptoribus, alter cùm generationem *attractione* perfici arbitratur. Causa in hoc negotio non satis nota, quæ alioquin cùm sit simplex, & unius tenoris videtur minùs apta ad producendam adeò variam organorum formam, hanc præsertim in quâ situm est discrimen sexûs. Alter, ut solet, ingenii perspicacis, & acutissimi in systemate edit specimen. At plura quoque offendicula, scilicet illæ partes, quas vocat *moleculas organicas*, simul & organorum expertes; eædem viventes, nec undè vivant, dicitur. Nonnullæ in utroque sexu similares, nonnullæ etiam dissimilares, quarum tamen si par copia, quinam evadet sexus ? Demùm utrasque cùm mas solus, sicut & fœmina sola contineat, uter fœtum gignit ? Cur solus, cur sola non generat, quemadmodùm Cochleæ, Hirudines, & alia hujusmodi animalcula. Autores harum hypotheseon, cùm ædificia ab aliis structa funditùs everterunt, tum ideò rati sunt nova se posse facilè moliri ; illa verò ut priora caducis nixa fundamentis quo majores, & altiores tabulatorum ordines extollebant, eo lapsu graviori, & sæpè improviso corruerunt.

IV.

Ex suprà dictis patet generationis ænigma à nullo hactenùs Œdipo solutum ; nos verò nunquàm solvendum vel ab ipsa sphynge contendimus. Si quæras, quare existat aliquid ? Quis respondeat ? Sive de animalibus, sive de terrâ inerti. Illa materiam viventem exhibent, hæc mortuam. Cur hæc vivens ? Illa mortua ? In vivente totumne vivit ? Totumne mortuum in mortuâ ? Vivens semperne vivit ? Mortua nunquàmne vivax ? Quid inter utramque discriminis ? Aliundè multiplexne vivens, & specificè diversa ? An quoque multiplex mortua ? Utraque aliquandone, & quomòdo maritatur ? *Felix qui posset rerum cognoscere causas ! Tu ne quæsieris scire nefas.* Principia rerum primaria, ac proinde γενεσεως animo, sive aliquâ arte assequi nos oporteret ; illa verò nosse ut posset, humano generi denegatum fuisse sapientissimus quisque non dubitat, non posse probari, an homogenea sit necne materies, non posse illam scindi in partes quàm tenuissimas, ac multò minùs nativam earumdem partium formam deprehendi. Humana igitur ingenia sive circà nnmerum, sive circà essentiam harumce partium semper incassùm laboratura, atque inter duo infinita maximum, & minimum, quasi inter Scyllam & Charybdim fluctuatura, & utrimque in ancipiti versatura. Aliundè notissima supponantur rerum elementa, cui unquam dabitur naturam ipsam in suis penetralibus intueri operantem ; instrumenta quibus utitur, non dico tractare, aut etiam conspicere, sed vel solùm aliquatenùs animo apprehendere. Ex illis instrumentis, primum & efficacissimum esse motum nemo non fatebitur. At causa motûs latet. *Proteum* dicas varium, versatilem qui extrà humani captus limites delitescit. Seligas, utram volueris, impulsionemne, an *attractionem* : causa impellens vel attrahens desideratur. Denique quid mirum ignorari, quomodo generentur corpora, cùm modus quo nutriuntur & crescunt, non penitùs innotescat. Ea quidem scimus, & cernimus ciborum succo roborari, & sensìm augescere ad certam molem suam cuique speciei naturâ præfinitam, undè etiam infirmantur, & decrescunt, adeò ut vita quo inchoatur principio, & viget, eodem pariter labefactata extinguatur. Quapropter pulchrè illud dictum : *vivere est continuò rigescere.* At quas le-

(g) Apud Insulam Borneo, homines caudâ à tergo non secùs ac simiæ caudâ instructi sunt.

ges ſequatur natura in augendis corporibus, ſicut in minuendis, nempè quæ ſit actio, & reactio æqua & reciproca ſolidorum, & fluidorum, omnes humanæ artes, ſi pergant exquirere, præcipuum & ultimum propoſiti finem nunquàm aſſequentur, nec igitur unquam generationis modum. Atque illud tam præclarum, tam ſanctum artificium generandi hominis hominem, à naturâ celari putes, quòd hæc pudica, & caſta opifex in ſuo ſacrario recondita, humanos viſus quaſi profanos refugere voluiſſe videatur.

V.

VERMES, (*h*) inquis, in ſemine deprehenduntur; non diffitemur, ergone ſunt hominis rudimenta: at in liquoribus compoſitis, & ſtagnantibus plurium inſectorum ova inteſtino fermentationis motu excludi quis attentus obſervator non deprehendit? Fateamur ergò quòd res eſt arcana in ordine phyſico duplicis generis, alia quæ etſi nondùm explicari potuerint, deſperandum tamen non eſt fore ut deinceps obſervatione, & magiſtrâ ſcientiarum experientiâ pateant; alia ſtrictè, & propriè dicta de genere eorum de quibus dictum eſt, *Quantò magis laboraverit homo ad inveniendum, tantò minus inveniet.* Demus enim ſolerti, ac ſagaci ætatum futurarum induſtriâ detegi multa poſſe, nùm idcircò primum generationis principium aſſequentur? nequaquàm; nam mirus generationis actus nunquàm poteſt ſub ſenſus cadere, ſine quibus tamen illum innoteſcere nobis non poſſe nemo eſt qui fateri non debeat. Recludantur animalium utriusque ſexûs viſcera, exta intima conſulantur ſcrupuloſè, ab altero Harveo (*i*) evolvantur tenuiſſimæ fibrillulæ, diſſecentur, inſpiciantur primum generationis punctum, primave puncta nullibì apparebunt. Verùm quamvis apparerent, quis eorum formam diceret? Quæ ſi conſpici poſſet, vis eorum interior ſupereſſet dicenda. Si vel in uno puncto hæſeris, in obſcuriſſimam de primorum elementorum naturâ, & numero quæſtionem delabi te neceſſe eſt, quam inextricabilem & ingenii humani viribus imperviam peritiſſimus. Quisque agnoſcit. Ergò vir prudens in inveniendâ generationis cauſâ non ultrà inſudabit. Unde meritò concludimus:

Ergò Generatio naturæ arcanum.

(*h*) Dioptrices ope animalcula tùm hominis, tùm brutorum in ſemine natantia deprehenduntur vermium inſtar conformata; in hominibus capite craſſiore, caudâ verò tenui donantur, in brutis exilius eſt caput, venter craſſior, cauda tenuis. Vivido motu in ſeminis latice agitantur. Tanta eſt eorum copia, ut ſeminis virilis guttula vix arenæ craſſitiem æquans ex animali ſano, & vegeto deſumpta decies centena millia, & ampliùs animalculorum contineat. In Senum ac Juniorum ſemine nulla, aut pauca reperiuntur, nec vivida.

(*i*) Carolus primus Britanniæ Rex, Harveo Archiatro generationis arcanum detegere cupienti conceſſit, ut cervas ac damas ſepto regio incluſas ad libitum diſſecaret. Nihil deprehendit quòd prætenſis *Graaf* obſervationibus non adverſaretur, neque ſeminalem maris auram in utero, neque ova in tubis fallopianis, neque ullam in ovariis alterationem. In cervarum matrice tumorem, & mollitiem inſolitam partesque obſervavit ſpongioſas & excreſcentes, è quibus nonnullæ levibus punctis quaſi viſco imprægnatis diſtinguebantur; at nullum vidit ſeminis liquorem. Menſe Novembri deturgebat uterus, tuncque ab unâ tubâ ad alteram protendi viſa ſunt fila tenuiſſima è quibus componebatur rete quoddam in modum ſacculi. Intus autem viſus eſt liquor albumini ſimilis, cui innatabat punctum ſaliens; ſub finem Novembris adeſt fœtus. Poſt octo dies ab inchoatâ animalis vitâ ſexus diſcrimen innoteſcit. Partes animalis internæ citiùs externis efformantur, quibus quaſi tegumento veſtiuntur. Atque ex iis experimentis nihil aliud concludere potuit Harveus quàm fœminæ fœcunditatem eſſe à mari, quemadmodum ferri virtutem eſſe à magnete.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Sallin.	*M. Nicolaus Jeanroy, Actûs Præſes.*	*M. Joannes de Dieſt.*
M. Simon Vacher.	*M. Auguſtinus Roux, Regiæ Societatis Rei Agrariæ Pariſienſis, nec non Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalenſis Socius.*	*M. Joſephus de Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Socius.*
M. Coſma Auguſtinus Lezurier.	*M. Paſchaſius Borie.*	*M. Joannes Baptiſta Ludovicus Chomel, Antiquus Facultatis Decanus & Medicus Regis Ordinarius.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS THIERY DE BUSSY, Tullenſis, Doctor Medicus Rhemenſis, nec non ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. Theſeos Auctor.
A. R. S. H. 1762. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1762.